



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput III. De consensu & Contractus Matrimoniali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

ad hoc datur, ut conjuges castè sese diligant, & pacificè cohabitent, infirmitates mutuas supportantes, ac matrimonio ritè utentes, id est, non sequendo impetum libidinis, sed legitimam pro-
lis procreationem, ejusque honestam & piam educationem intendendo.

Minister hujus Sacramenti est solus Parochus, vel alius Sacerdos, de ipsius, vel Ordinarii licentia; licèt non desint, qui ministros hujus Sacramenti docent esse contrahentes.

Solum Parochum, &c. esse hujus Sacramenti ministrum, constat ex Trid. sess. 24. cap. 1. ubi præcipit, quatenus Parochus in celebratione matrimonii viro & muliere interrogatis, ac eorum consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* cumque illa verba sint vera, & Parochus tunc non conjungat sponfos in Matrimonium sub ratione contractûs considerata, (contractus enim antè per consensum utriusque exteriùs manifestatum celebratus est) necesse est, fateamur, quòd Parochus eos conjungat in matrimonium sub ratione Sacramenti.

C A P U T III.

De Consensu, & Contractu Matrimoniali.

§. I. *Qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii?*

P. I. **A**N ad valorem contractûs matrimonialis absolutè requiratur consensus in copulâ?

1. Neg. Quia fuit verum matrimonium inter Beatam V. M. & B. Josephum, ut constat ex Matth. 1. & Lucæ 2. atqui B. Virgo non potuit absolutè consentire in copulam, utpotè quæ vovisset Virginitatem, ut patet ex S. Aug. lib. de Virg. cap. 4.

2. An ad valorem matrimonii sufficiat consensus internus?

R. Regulariter loquendo, opus est consensu exteriùs per verba de præsentì expresso. Ita Flor. quod & praxis Ecclesiæ confirmat.

Dixi: *Regulariter loquendo*, quia extraordinariè possunt adhiberi signa æquivalentia, ut V. G. si mutus contrahat.

3. An ad valorem contractûs matrimonialis sufficiat consensus exteriùs manifestatus?

R. Neg. Saltem ubi Trid. est receptum, quia, ut Trid. sess. 24. cap. 1. debet insuper exteriùs manifestari coram Parocho &c. Et duobus, vel tribus testibus, qui non tantùm physicè debent esse præsentès, sed & moraliter.

4. An consensus parentum requiratur ad valorem matrimonii?

R. Neg. Contrarium definitum est in Conc. Trid sess. 24. cap. 1. de Ref. interim qui ineunt matrimonium parentibus rationabiliter invitis, peccant graviter, quia reverentia jure naturæ parentibus debita, postulat, ut filii, & filia consulant parentes in actionibus magni momenti.

5. An

5. An peccet Parochus conjungendo aliquos matrimonio parentibus invitis?

R. Aff. Et hoc vel maximè, dum minores subsunt potestati parentum, quando illos conjungit Sacramentaliter, & notorium est, vel ex propria confessione conjugum, vel publicâ famâ, aut circumstantiis parentes esse rationabiliter invitos, quia cooperantur peccato alieno, & sacrilegæ susceptioni Sacramenti.

An ad valorem matrimonii sufficiat contractus metu extortus vide supra 213. ubi materiam hanc discussam reperies.

CASUS X.

Parochus interrogat sponfos, an habeant consensum parentum, & hi respondent se non habere; hinc Parochus recusat eos conjungere, quo intellecto, sponsi in ejus præsencia, & coram testibus, ipso veniente, satis tamen advertente, quid agatur, verba, quibus de more contrahi solet, proferunt: an subsistat matrimonium?

R. Matrimonium sic contractum in ratione sacramenti nullum est. Siquidem Parochus hujus Sacramenti verisimiliter minister est, non contrahentes, atque verbis illius ratio formæ attribuenda est. In casu tamen posito matrimonium in ratione contractûs valere publici juris est.

§. 2. *An ad valorem Matrimonii sufficiat consensus conditionatus?*

1. **P**Otest sufficere consensus conditionatus, si conditio sit de præsentī, aut præterito, V. G. si quis dicat: *Accipio te in meam, si nata sis ex tali parente, vel si jam possideas tale dominium &c.*

Ratio est, quia contractus tunc non suspenditur, sed subsistente conditione subsistit, non subsistente, nullus est.

2. Ad valorem matrimonii sufficit consensus sub conditione de futuro necessario cognito ut tali, ut V. G. si quis dicat: *Contraho tecum, si cras Deus existet &c.*

Ratio est, quia conditio de futuro necessario ut tali cognito, non suspendit contractum, eò quòd non sit causa expectandi eventum conditionis, quæ moraliter æquivaleret præsentī.

3. Conditiones *intrinsecæ* contractui, *impossibiles*, & *turpes* habentur pro non adjectis, adeoque independenter ab illis subsistit contractus.

Exemplum 1. generis est: *Contraho tecum, si sim habilis ad contrahendum.*

2. Generis est: *Contraho tecum, si calum digito tetigeris.*
3. Generis est: *Contraho, si sis occisurus patrem tuum.*

Conditiones intrinsecas haberi pro non adjectis clarum est ex natura ipsius contractus,

in quo illæ conditiones censentur incluse independenter à nobis.

Conditiones impossibiles, uti & turpes itidem haberi pro non adjectis, constat ex Cap. *Si conditiones* de conditionibus appositis, ubi dicitur: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inventam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro questu adulterandam tradas; matrimonii contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu, licet alie conditiones apposite in matrimonio, si turpes, & impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.*

Collige ex dictis tres dari conditiones contra substantiam matrimonii illud plenè enervantes, & quæ directè opponuntur tribus matrimonii bonis, *proli, fidei, & Sacramento.*

P. I. Quomodo Pontifex efficere potest, ut conditio impossibilis non evertat matrimonium, cum omnem juris naturæ contractum enervet?

R. Pontificem solùm agere de foro externo, & merè decernere, ut si ejusmodi conditio adjiciatur, ex rationabili præsumptione in favorem matrimonii, judicetur contractui apposita instar modi, seu gravaminis, vel tamquam pactum contractui principali extrinsecum, eique posterius annexum. Quod ut intelligatur,

Nota,

Nota, quòd contractus initus sub modo, sic virtualiter duplex; complectitur enim virtua- lem conventionem, ac deinde modum, sub quo initur, qui est pactum planè distinctum, & priori extrinsecum, adeò ut contractus prior à pactione secunda minimè dependeat: V. G. Petrus constituit Joannem suum heredem eà lege, ut postea hospitale erigat: dispositio Petri est omnino valida, & independens ab erectione hospitalis, ad quam Joannes per modum appositum est obligatus. Igitur quia matrimonium summi est momenti, & nemo nisi serio, ac maturè illud aggredi censetur, præsumit Pontifex, & præsumendum esse statuit, conditiones illas non fuisse adjectas tamquam veras, sed adinstar pactorum & contractuum omnino distinctorum, quamvis interim matrimonium in foro conscientiae sit nullum, si contrahens noluerit matrimo- nium inire, nisi dependenter à conditione impossibili.

2. An conditiones de præterito, quæ si essent de futuro, repugnarent substantiæ matrimonii, contractum evertant? V. G. An valeat matri- monium hoc modo inicum: *Contrahe tecum, si generationem prolis evitaſti, si adultera fuisti?*
- R. Neg. Quia actu, & de facto non sunt contrà substantiam matrimonii, quandoquidem non destruunt obligationem, quæ nascitur ex contractu matrimonii, nec illi opponitur. In illo namque quòd sponsa heri fuerit adul-
tera,

tera, non continetur aliquid repugnans obligationi matrimonii.

3. Quid si sponsus contrahendo matrimonium faciat intentionem postea evitandi procreationem prolis, prostitutionem sponsæ?

R. Id non eversum contractum matrimonii, quia sponsus supponitur se, vel sponsam ad id non obligare: quòd evitetur generatio prolis, vel quòd uxor se prostituat, est quidem contra legem matrimonialem, sed non est contra substantiam contractûs, eò quòd non destruat obligationem conjugii.

Nota, quòd evitare generationem prolis dupliciter accipi possit; semel, ut importat abstinentiam à copula, semel verò, ut idem sit atque suppositâ copulâ impedire generationem, & in utraque acceptione est contra substantiam matrimonii, prout *ordinariè* initur.

4. Utrùm, quando matrimonium contractum est sub conditione de futuro honesto, vel indifferenti, opus sit novo consensu, quando conditio impletur, an verò positâ conditione subsistat eo ipso matrimonium independenter à novo consensu?

R. 1. Si matrimonium fuerit contractum absente parochò, & testibus, clarum est, illud non valere in locis, ubi Trid. est receptum, nisi in eorum præsentia renovetur consensus, saltem æquivalenter. Neque sufficit, sponso impletâ conditione coram parochò, & testibus dicere: *Contraximus matrimonium*, sed
opor-

oportet dicere: *Contraho*, aut aliud quid æquivalens: partim quia requiritur consensus de præfenti, partim, quia dicendo: *Contraximus*, tantum significatur, quid ante gestum fuerit, minimè verò, quòd jam adsit consensus.

2. Matrimonium contractum sub conditione de futuro honesto, vel indifferenti valet in in ratione contractus statim atque conditio impletur, saltem loquendo ex natura rei, ac proinde in locis, ubi Trid. necdum est acceptum, non requiritur novus consensus, sed æquè ac alii contractus initi sub conditione, incipit valere atque conditio ponitur.

CASUS XI.

Titius bonâ, vel malâ fide contraxit cum Caja matrimonium, cui tamen erat affinis propter copulam ante habitam cum ejus sorore; Titius intelligit ex confessario matrimonium suum esse nullum, imò perpetuam fornicationem propter impedimentum affinitatis, ideoque occultè procurat sibi dispensationem à Pontifice, quâ impetratâ; queritur, an iteratò contrahere debeat, & quomodo?

Hujus casus decisio eruitur ex resolutione Clémentis VIII. ut refert Paulus Comitulus Lib. 1. Resp. Mor. Q. 120. *Cùm enim primaria quadam femina viro etiam primario nupsisset, animo tamen à connubio dissentienti, & per multos annos in matrimonio mansisset, & proles suscepisset, consultus occultè Pontifex, quid mulieri ad sanio rem mentem redeunti, agendum foret? Respondit esse necessarium novum consensum utriusque coram pa-*

370 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.
rocho, & testibus, admonito prius marito de matrimo-
nij nullitate.

Ratio est, quia totum, quod antè gestum est, nullius fuit roboris, neque dispensatio tradit ullam vim priori contractui, sed tantùm reddit personas habiles, quæ antè ad contrahendum fuerant inhabiles.

C A S U S XII.

Quid agendum foemina, qua conscia nullitatis matrimonij, marito illam indicare non audeat, ne is fortè, se liberum intelligens, cum scandalo recedat, matremque cum prole multiplici deserat?

R. Certum esse, quòd in illo statu neque debitum petere, neque reddere ullo modo licitè possit; quandoquidem sciat certò actum carnalem meram fore fornicationem: proinde vel per se, vel per confessarium suum, vel aliam personam idoneam id agere debet, ut maritus consensum suum expressè, aut saltem tacitè, & virtualiter coram parochò & testibus innovet, eum cautè inducendo, ut uxori suæ sincerè dicat: *Si matrimonium nostrum sit invalidum, te hic & nunc in meam accipio.* Decreta Pontificia, quæ exigunt, ut pars altera certificetur de nullitate matrimonij, intelligenda sunt de casu ordinario, in quo periculum jam delineatum non reperitur.

☞ (†) ☞

CA.